



**Miracvla Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de
Liesse dictam effulsere**

Caoult, Walrand

Coloniae Agrippinae, 1607

Quidam contra leonum rabiem mirabiliter illæsus conseruatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

ad eò venusta facie esse ac rubicunda; in genua pie corruens ad eò instanter ac sensibili voce B. Mariam Exhilaratricem inuocauit, vt ab omnibus quid diceret intelligeretur. Huiusmodi autem sua fuit oratio. O speciosa Domina, hic puer precum tuarum virtute & meritis nobis donatus est, te humiliter supplico, ostende miraculosam potentiam tuam: firmiter namque credo te hac in re ab vnico filio minimè passuram repulsam. Hisce dictis (ò stupèdum miraculum) nulla interposita mora, puer qui antea iacuerat exanimis, complures voces & suspiria edidit in Prætoris ac totius magistratus præsentia: quod iudicem permouit vt mulierem cum marito suo libertate donaret.

QUIDAM CONTRA LEONVM:
rabiem mirabiliter illæsus conseruatur.

MIRAC. IV.

NOBILIS quidam fuit cuiusdam Comitum nepos, qui duarum meretricum falso relatu & calumnia (quæ ei falso, Virgini stuprum imponebant) ad leones damnatus est, vt inquam, leonum immanitati violenter obtrusus in eorum fovea
lanna

immaniter dilaniaretur: quod & executioni
mandatum est tempore quo auunculus eius
ad B. Mariam Exhilaratricem peregrinatio-
nis ergo profectus erat: siquidem in leonum
fossam, vt vnguibus dentibusque eorum di-
scerperetur, præcipitatus est, aureique cen-
tum puellæ, quæ ab eo coactuprata diceba-
tur, numerati sunt, Accidit autem postea Dei
iustissimo iudicio ambas meretrices sub qua-
rum deprauato regimine puella viuebat, sibi
mutuo violentas manus cum ipsa morte attu-
lisse. Tribus iam septimanis euolutis, vbi co-
mes ipse à suscepta peregrinatione ad propria
rediisset, nepotem suum ad se euocauit: Cui
mortem obiisse, eūq; vita defunctū resposum
est. Cūq; mortis eius causam & occasionem
intellexisset pia oratione B. Mariæ Exhilara-
tricis implorauit opem, ac illa eadem hora fo-
ueam, in quam dictus suus nepos coniectus
fuerat, perlustrare voluit. Reserata autem fos-
sa idem eius nepos in hunc mundum excla-
mare cæpit, dicens: Erratis vos qui me ex hoc
loco non extrahitis. Iudex graui stupore atto-
nitus, sine mora eum plane illæsum, ac abo-
mni incommodo vindicatum extrahi iussit,
dicente ipso se eo in loco continuo dormi-
tasse, seque B. Mariæ Exhilaratricis precibus,
cuius sanctum subsidium frequenter consue-
uerat expetere, contra leonum furibundam
rabiem præseruatum fuisse.